

bus, mendaciis, blasphemis, etc., ita cumulavit, ut nullus nebulo, qui in orbe vixit, longius processit in hominem. Hæc præmia laboris et sudoris mei! hæc fregère mihi animum viresque. Maledixi sæpius illi horæ quâ, verbum litteris publicis mandavi; et, absolutâ *Materia Medica*, nunquam scribam publicè verbum, dum vixero. Tamen virum non vidi, non novi, nec audivi, nisi nuper dum quæsivi nomen anonymi. Hoc fregit mihi omnem animum; ego posthæc dormiam in horam 8, nec surgam amplius horâ 3. *Species plantarum* quas ad Tetradynamiam jamjam absolvi, nunquam dabo sed cremabo, nisi Deus vel aliquis mortalium ipsum puniat, prout de me meruit.

Sed fortè fuit hoc, ex voluntate Dei, ut ego etiam in vitâ meâ, persentirem mundi hujus delicias, quas sprevi hactenùs omnes. Has omnes posthæc die noctuque sectabo, ut amici mei et collegæ. Lætus animus est, quod vitam beatam reddit in hoc globo.

Plantas siccas magni Magnolii cum oblectamento pervolvam; utinàm acciperem! rescribam ad te de singulis, utinàm salvæ accederent! Tantùm debeo pro his Dom. Magnolio, ut mihi nec litteræ nec verba sufficiant.

Devota mea officia dicas D. Bon, D. de Ratte, et D. Maynardo, Ego non scripsi de *Rabie* nec